



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

XXXIV. Iudicium pro Episcopo Gerundensi ob villam cui nomen Baschara.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Etis fidelibus nostris tam presentibus quam & futuris, seu etiam successoribus nostris fidelibus sanctae Dei Ecclesiae, quia adiens serenitatem culminis nostri venerabilis vir Agulfus Abba ex monasterio quod dicitur Sollemniacus, quod sanctus Elegius in honore sancti Petri & ceterorum sanctorum construxit, gestans in manibus immunitatem avi nostri Pippini Regis, necnon Domni & genitoris nostri Caroli bonae memoriae magni Imperatoris, in qua continebatur inferum qualiter ipsi praefatum monasterium propter divinum amorem & reverentiam divini cultus semper sub plenissima defensione consistere & ab omni publica functione & judiciaria exactione immunem liberumque reddidissent. Quod munus eidem monasterio exhibitum Deo annuente inviolabiliter haecenus constat esse conservatum. Pro firmitatis namque studio huiusmodi beneficium erga praefatum venerabile monasterium nostra auctoritate humiliter precibus quibus valuit fieri postulavit. Cujus petitioni ob amorem Dei & reverentiam divini cultus libenter assensum praebere nobis usquequaque libuit. Quapropter volumus atque decernimus ut omnes res ejusdem monasterij cum hominibus sibi subjectis tam ingenuis quam & servis sub nostrae defensionis munimine modis omnibus consistant. Praecipientes ergo jubemus atque praecipimus ut nullus iudex publicus aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicae procurator ad causas judiciario more audiendas in Ecclesias aut villas seu reliquas possessiones quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis imperij nostri iuste & legaliter tenet, vel deinceps in iure ipsius monasterij divina pietas voluerit augeri, ingredi praesumat, nec freda aut tributa aut mansiones aut paratas aut fidei ius toltere, aut homines tam ingenuos quam & servos ipsius monasterij distringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones vel illicitas occasionem requirere, quibus in aliquo idem monasterium sibi subjecti aliquid patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam tam temerarius existat qui id faciendi illicitam sibi potestatem adtribuere audeat. Quicquid ergo sepefactis ejusdem monasterij rebus in jus fisci exigere debuit, & a praedecessoribus nostris conlatum esse constat, largitionis nostrae munere libenter esse volumus per immensum eidem monasterio concessum; ut remoto fisci dominatu ad luminaria basilicae praedicti monasterij concinnanda & ad sustentationem pauperum seu Clericorum in eodem loco Domino deservientium sit supplementum. Et ut haec auctoritas firmior habeatur, & perpetuo tempore melius conservetur, manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Hludovici serenissimi Imperatoris.
Durandus Diaconus ad vicem Helisachar recognovi.

Data VIII. Kal. Augustas anno Christo proprio IIII. imperij Domni Hludovici piissimi Augusti, Indictione x.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

XXXIV.

Judicium pro Episcopo Gerundenfi ob villam cui nomen Baschara.

Conditiones sacramentorum atque exordinationes de Missos gloriosissimo Domino nostro Lodovico Imperatore, Nifridius Gerundenfi Episcopus, Christianum item Episcopum, seu & iudices qui iussi sunt de ipsos Missos dicere causas, id est, Atroarius, Cirella, Adulfus, Calbus, Provalius, Sculpiliarius, & Remulus, seu & Magnentio, Salone, vel in praesentia aliorum multorum hominum qui cum ipsis ibidem aderant, juraverunt testes prolati, quos profert Advocatus Vvadarico Episcopo, id est, Vicarius, dicens in faciem Godaldi, pro causa unde intentio vertebatur in testes. Haec sunt nomina testium qui jurare debent, & jurant, id est, Argemirus, Vitales, Cavatus, Valerius, Maurilio, Auripino, Segontio, & Condesindo, qui juraverunt. Dicimus per Deum Patrem omnipotentem, & per Iesum Christum filium eius, & per Spiritum sanctum, qui est in Trinitate unus & verus, & ad locum venerationis sancti Andrae, quae fundata est in villa Borraciano in territorio Bisuldunense, super cujus sacrosanctum altare has conditiones manibus nostris continemus vel jurando contargimus, quia nos suprascripti testes scimus, & bene in veritate notum habemus, & praesentialiter fuimus quando erat Ragonfredus Comes Palatio una cum iudices dominicos Donatum & Vgabaldum in villa quae dicitur Baschara; & perquisierunt terminos de ipsa villa, archas, & fixorias, & vindenatas. Nos vidimus testantes in omnibus huciendo truncato mantido Oderius comparatus, & Ababdela, qui vocatur Maradon, & Avenatus. Et testificaverunt, & juraverunt, & fuerunt per ipsas archas & fixorias. Unde nos supradicti testes pedes circumivimus, & manibus nostris ostendimus signa. Et sic revesitit Vvadarico Episcopo de ipsa villa suprascripta, cum terminos vel omnes fines suos, a parte sancti Felicis beatissimi martyris Christi sedis Gerundenfis. Et ea quae scimus, recte & fideliter testificamur per supradictum juramentum in Domino. Latæ conditiones sub die octavo undecimo Kal. Januarij, anno quarto imperante feliciter gloriosissimo Domino nostro Lodovico Imperatore.

XXXV.

Præceptum Ludovici Pij Imperatoris pro monasterio Conchenfi in diocesi Ruthenensi.

In nomine Domini Dei & salvatoris nostri Iesu Christi. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustinus. Multis fidelium nostrorum, & praecipue his qui in occiduas partes sunt constituti, nosse credimus qualiter vit religiosus Dado quodam nomine, qui nostris temporibus religione & sanctitate divina sibi administrante gratia emicuit, dum quietem adpeteret,

An. 817.
Ex archivo
Episcopi
Gerunden-
fis.

An. 819.
Ex archivo
monasterij
Conchen-
fis.